

## CAPUT XIII.

## De morbis cutis.

**N**ihil jam dicam de *exanthematibus*, quae per febres prorumpunt, uti nec de *pustulis* & *maculis*, quae in foedo corporis habitu cutem inficiunt. Haec omnia, suis quaeque locis, sunt exposita (a). Morborum autem omnium, qui summum corpus occupant, foedissimus est *lepra*. Ea duplicis est generis; alterum *Graecorum*, alterum *Arabum* nominant. De utroque, tum quae ad naturam, tum quae ad curam mali spectant, quantum ad rem factis est, alio in libro differui (b).

## De scabie.

Huc vitio foeditate proximum, at origine plane diversum, dicitur *scabies*. Est autem aspritudo cutis rubicundior, unde pustulae oriuntur, ex quibus exit sanies; fitque ex his continuata exulceratio pruriens, quae cito contagione serpit. Animatus revera dici potest hic morbus, utpote qui animalculis ortum suum debeat. Etenim infecta quaedam adeo exigua,  
ut

(a) Cap. De febribus, &amp; De scorbuto.

(b) Vid. Medica sacra, Cap. II.

tit aciem oculorum, nisi microscopio adjuvatur, omnino fugiant, in cuticulae sulcis latentibus, & fere invisibilibus, tanquam in nidis, ova sua deponunt; tum calore loci foetus brevi excluduntur, qui justam magnitudinem nati, ipsamque cutem rostris aculeatis penetrantes, fibrillas vellicant roduntque. Morsus iste pruritus intolerabilem facit, unde scalpendi est necessitas; hinc scalptura pars lacerala humorem tenuem effundit, qui ipse in crustulas duriores mox concrevit. Animalcula autem subter cutem assidue repentina de loco in locum, morbum propagant, dum ovis contagium longius effertur.

MANIFESTUM hinc fit, cur linteis, vestibus, chirothecis, similibusque, quibus usi fuerint contaminati, hoc malum in corpora sana transferatur. Ovula enim rebus hujusmodi ex molli materia confectis adhaerentia cuti affricantur, & exclusa fordidam prolem edunt.

ID vero majoris est momenti, quod causae cognitio morbi medicinam monstrat. Nihil enim hic proficiunt purgantia, aut quae ad sanguinem emendandum dantur medicamenta. Externis adjumentis res agenda est; delenda scilicet impura progenies, quod facili negotio perficitur. Tepido igitur in balneo corpore primum lavato, inungendae sunt quotidie sub tempus lectum petendi partes affectae, aut unguento e sulphure, aut quod odore minus ingratum, e mercurio praecipitato conficitur; nisi quis malit linimentum componere longe gratis-

I


simum;



simum, parique efficacia, ex floribus aurantiorum, vel rosarum rubrarum, adjecto mercurio corrosivo rubro, cum axungia contusis.

HAEC, quae dixi, omnia in *Actis Regalis* nostrae *Societatis* habentur (a). Edidit enim anno MDCLXXXVII Medicus ingeniosus, Johannes Cosimus Bonomo, *Epistolam* Italico sermone scriptam ad celeberrimum Franciscum Redi, Florentinum, *De vermibus corporis humani*; in qua totam hanc rem, adjunctis etiam animalculorum cum ovulis suis figuris, dilucide exponit. Hujus Ego, cum decem circiter post id tempus annis per *Italiam* iter facerem, exemplar nactus epitomen lingua nostra composui, quam in patriam redux *Actis* memoratis inferendam curavi.

(a) Vid. *Philosophical Transactions*, Numb. 283.



C A-